



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

6. Haud maiori operæ pretio Vasquiniani aliis Soarium impugnant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)

qui absolute potest, atque in sua potestate habet impedimentum possibilitatis consequentis non merendi, pro prior ad absolutum meritum quem appetiuit impedire, ne fuerit, ut respondimus sepe ad componendam absolutam libertatem actus contingentis cum electione & collatione absoluta efficacis auxilij per scientiam mediam regulatis, & directis: quare, ni aliunde hæc oppositio regulantis prematur ut pressimus contr. 4. q. 2. contra Soaristicas prædeterminationes vauersum, ac iterum in te præsentem urgebimus cert. ult. facile me eluctari, vel eludetur impugnatio.

9. Impugnat secundo: quia, quidquid Deus vult gratia ipsius, seu propter ipsum vult, vel gratia alterius, seu propter aliud, quin possit voluntas præscindere ab utroque: sicut nec potest præscindere, ut aliquid velimus, quin ex nostri, vel alterius complacentia velimus, ergo Dei voluntas efficax circa gloriam prædestinati, vel versatur circa gloriam, eiusque donationem propter se, & gratia sui, atque sic aperte vult dare gratis, & sine meritis: id est enim dare gratis, dare scilicet gratia donandi, & ipsius donationis, inferitur inde: electionem meritorum ad consecutionem gloria locum non habere, adhuc pro posteriore: quia voluntati illi efficaci aduersaretur: vel versatur circa gloriam eiusque donationem, non gratia ipsius & propter ipsum, sed propter merita, & tunc iam includit merita: cum autem nihil Deus possit vellet nisi propter se, & gratia sui, vel gratia alterius & propter aliud, atque primo modo excludantur merita, secundo vero includantur, sit planè voluntatem illam ab inclusione, & exclusione præcisiue esse chimericam, & impossibilem. Ad exemplum volentis efficaciter ex misericordia succurrere egeno non definiendo pro eius voluntatis signo prior donationem, vel mutuo, vel debiti compensatione succurre respondet: iam assignari specialem virtutem misericordiam, quæ componi possit cum quouis ex assignatis modis executionis succurrendi, in voluntate autem illa donandi gloriam abstrahendo à meritis, non posse assignari specialem virtutem, quæ cum donatione executionis propter merita componi queat. Sunt autem hæc ceteris debitoria. Nam ponit (quod Scriptura asserit) eam Dei voluntatem ex misericordia fuisse, & est casus quem admittit, & sane, cum merita ipsa ex misericordia Dei oriantur potest ipse conferre gloriam ex duplici voluntate misericordiam, & iustitiam, seu gratitudinis, vel vnicæ ab alterius motu inadaquate concepta, & adæquatæ ab utroque: vel propter vnum ut principale motuum, alterum ut impulsivum: vel denique exercere, & exequi materialem actionem iustitiæ, aut gratitudinis in donatione gloria ex solo motu misericordiam. Ratio autem illa nititur æquiuocatione notata supra à nobis in alia eius impugnacione, vocum gratia, & propter se, vel propter alium: accepto quippe gratia & propter se, vel propter alium: accepto quippe gratia & medialiter, ut pressimus ad formam, quæ aptius ad latinitatem loquar) verum est nullum actum voluntatis cuiusvis posse ab utroque præscindere, propter autem meritum, non est finaliter acceptum, seu finis respectu gloria, quæ ob ipsa datus, sed potius medium morale, seu motuum, per quod illa in executione dabitur: quare absque ulla repugnantia voluntas illa antecedens, siue electio efficax prædestinati ad gloriam in ipsam eiusque donationem ob misericordiam honestatem, vel alterius virtutis motuum, quin medium meritorum includat, vel excludat, potest præcisiue ferri: & sanè cum, quod ad motuum actum, nullum sit intentionis inefficacis gloria prædestinati à Vasquez asserit, ab inefficaci discrimen importunè ad eius efficaciam impugnandam medium istud assumitur. Ratio, ob quam secundum hic finis modus minus Soario placet, quia scilicet videtur admittere Deum prius de genere, quam de specie decernere, quod, cum ex parte diuinæ scientiæ, tum ex parte efficacis diuinæ voluntatis repugnat, ut ostendimus, in modi huius explicatione benigna, quam supra dedimus. Soarii ratio vim non habet, ut ipsi, in suo philosophandi modo, displiceat.

CERTAMEN VI.

*Hand maiori opere pretio Vasquiniani
aliis Soarium impugnant.*

1. Impugnat Lessius primo. Quia hoc modo electionis reprobi ante præuisa merita positivè etiam videntur à gloria exclusi: tum quia ceteris Beadorum numerum hac electione efficaci præfinitum vii adificium certo lapidum numero, & certo Conuiuium numero, & ordine conuiuium, eius assertores esse docent: cum tantumta efficaciter electi nequeant non numerum illum complere, ac supra illum addi alij sine mutatione præfinitis, & dispositionibus adificij nequeant, electione eiusmodi ante præuisa merita non inclusi, exclusi à gloria positivè erunt, ac demum cum ex ea solum efficaci electione ad gloriam auxilia efficaciam ad perseverandum donentur, qui ita electi non sunt, videntur ab auxiliis illis & perseverantia positivè exclusi: vrgeret primum, & universaliter certum illum numerum saluandorum conuiuium, & adificio celesti inferendorum, quoad augmentum, & decrementum concedant: quare nec mentiam conuiuium illius molestave adificij, certis corporeis magnitudinibus terminis, & proportionibus delineatum volumus. Secundum non vrger magis. Electio quippe efficacis necessitas non est, ut auxilia efficaciam donentur, adhuc præfinitis in horum sententia, quæ ex intentione inefficacis salutis prædestinationem, & electionem auxiliorum efficacium etiam ad perseverandum possibilem adiungit, sed solum requiritur, ut ita electis, & prædestinatis non possint non conferri: quare ex determinatione hac conferendi auxilia efficaciam ita electis prædestinatis ad perseverandum reprobi, respectu quorum remanet intentio inefficax salutis, ex qua dati à Deo ea auxilia possunt, ab eis non remanent exclusi sed ex mera Dei libere, quam eis electionis similis absentia facit. Unde secunda Lessij impugnatio euangelicæ: quod scilicet Deus non deatut sincere vel reprobi salutem, sed eorum potius salutem insidiari: quandoquidem de industria ea deperit auxilia, quibus nouit saluandos, quæ si extra auxiliorum ignarus de auxiliis prouideret, plerique reprobi contingerent; verum cum id ex mera Dei libere, non ex prædestinatorum præfata electione ad gloriam potest, nil contra hanc præstat obiectio; immo ei tenetur Lessius obiectans respondere: cum ad prædeterminationem, & electionem auxiliorum efficaciam ad perseverandum, scientiam mediam regulantem, & directantem requiratur: electionem vero sufficientem pro reprobis committari similem scientiam fatetur; & tamen Deum ex vera, sincera, seriatque salutis ipsorum intentione ex auxiliis eligere fateri dogmaticè debeat iuxta solutionem huius difficultatis à nobis datam controu. & 6. immo etiam in anteauctorum peccatorum penam ea industria ea triquat: quia tunc etiam ex correptionis, & respicientiæ sine ea confert, ab ea intentione sincera, & respicienti salutis ipsorum non abest, de quo rursus 6. de reprobatione: indeque euangelicæ scandalum, quod apud ipsum Catholicam prædestinationem ingenerare potest apud ignaros, immò & apud Doctos alias, & eruditos. Sena pelagianos ab Augustino prædicata scandalum fecit, quia non satis ab ipsis intellecta. Parum ergo habet scandalum est, quod è sola ignorantia, aut præaliorum intelligentia ortum habet, ut Theologice examine, aut vera, aut probabilitate tradantur. De quibus cum ad modum subtilia, & populi, seu ceteris, ad quem est nobis sermo, caprum superantia sunt, recte præcipit prudentia, ut de rebus ad prædestinationem spectantibus subtilioribus.

2. Tertia impugnatio. Quod eiusmodi electis iustis possint respondere reprobi dammandi se antecedenter ad gloriam electos, atque efficacibus auxiliis à Deo non præuentos, ut bene viuere, ac perseverarent, hæc electi, & præuenti fuerunt, & prædestinati. Hæc enim electi, & præuenti fuerunt, & prædestinati.

obsecro ex prædeterminatione prædestinatorum, & negatione prædeterminationis reprobis, æquo robore contra Lessium, & Catholicos omnes intrinsecus potest. Neque enim ex electione efficaci ad gloriam, sed ex electione auxiliorum efficacium pro prædeterminationis ac non efficacium, sed sufficientium pro reprobis, totas suas vires, (si quas habet) desumit, sed habet certe nullas: cum enim siue ex intentione efficaci, siue inefficaci donata auxilia intrinsecus indifferentia, & efficacia, seu inefficacia extrinsecus sint, antecedentem tam in reprobis, quam in prædestinatis absolutam ad bonum, prauumque eorum vsum potestatem relinquunt, pro quo prædestinati laudem, & præmium, reprobis vero vituperium mereantur, & supplicium. Solumque dicere reprobi possunt, non ita Deum erga ipsos beneficium, atque erga prædestinatos fuisse. Quibus tamen ipse in operationum vine parabolam iam dudum respondit: *An de bonis meis non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est? quia ego bonus sum, & illo amplius. Tolle quod tuum est, & vende.* Siquidem & reprobis non de eorum bonis, & debitis, sed de suo etiam, & ultra debitum, gratis plura in auxiliis sufficientibus Deus contulerit. Nihil ergo iustitiae in reprobis prouidentia, & damnatione seruanda electio illa efficax, & antecedens merita prædestinatorum ad gloriam potest efficere. At inquit Lessius saltem Dei bonitate officit. Dona enim supernaturalia gratis, & e sua mera bonitate communia esse solent, vt in Angelorum Sanctificatione, hominum redemptione, Sacramentorum participatione, & aliis pluribus, æque ad omnes à Deo profusus patet, qui bonitatis suæ, vel inclinationis, legi deficeret, si quibuldam efficaciter ex se solum, & absque eorum merito ad gloriam electis, alios ex se etiam ipso solum ab ea electione exclusisset: obsecro hæc vt bonum Deum faciat, absolutum Dominum negat, nec rationis vmbra habet, vt in naturalibus vnam creaturam alteri præferre possit, vt experimur, in supernaturalibus nequeat: cum non minus supernaturalium, quam naturalium Dominus sit, atque ad supernaturalia illud quale ius, atque exigentia precaria ablit creaturis, Deoque ipsis debitum: & parabola etiam inæqualis donationis operantis in donis supernaturalibus sit. Exempla de sanctificatione nil præstant Angelis communi: non probatur fuisse omnibus æqualem, immo aliis imperitum fuisse, quam aliis maiorem verius est: quid ergo discrepat alios præ aliis ad gratiam vocationis ampliores & ad gloriam impensius fuisse amatos? Redemptio ad omnes creaturas eius capaces extensa non fuit, cum eius Angeli participes non fuerint: immo nec æqua quoad applicationem, vel per Baptismi sacramentum, aut penitentiam: nec medium sufficiens ad remedium, & reparationem nonnullis promissum nonnulli opiantur. Mitto perspicua plura.

3. Quarta Lessij impugnatio: Promissio omnis est signum voluntatis promittentis: ergo absoluta absolute, conditionata vero solum conditionate voluntatis. Atque promissiones omnes, & omnibus in scriptura à Deo de vita, & gloria æterna factæ conditionate sunt, sub meritorum scilicet conditione: ergo nulla est in Deo erga aliquem adhuc prædestinatorum, nedum erga eos omnes absoluta efficax, & antecedens eorum absoluta merita ad gloriam electio. Confirmatur: quia obinde nemo nostrum conditionate promittit alicui, quod absolute dare decreuit. Confirmatur secundo: quia Deus eodem modo omnibus promittit gloriam sub conditione meritorum atque inferni pœnas sub conditione demeritorum, ac proinde vtrumque ex conditionata solum voluntate, non autem ex absoluta efficaci, & antecedente absoluta merita, aut demerita, quam erga damnationem non habet, neque ex iustitia, aut retributione remuneratoria habere potest. Atque insuper, cum minæ illæ erga omnes sint, veræ, seriæ, atque ex animo esse debent, essent autem respectu prædestinatorum inanes minæ vanæque terrorelementa, quæ, nisi ex ignorantia antecedentis efficacis electionis suæ ad gloriam, incutere ipsis timorem minime possint. Rursus electio hæc Dei ratione auxiliorum efficacium, quæ Deus in sua habet potestate, & ita electio necessario donat, cum eorum

meritis absolutis, & perseverantia connexa est, atque ad conuertentiam proinde cum ipsis dicitur: contra verò cum non ita electis denegat efficaciam auxilia ad merendum, & perseverandum eorum non electio cum negatione meritorum, & perseverantia ipsorum ad conuertentiam etiam dicitur: ergo idem est, promitto tibi gloriam si eam perseveranter merueris, atque promitto illam, si te antea electi contra vero eius tibi iacturam minitor, si te non elegi ad eam. Quod, & à communi sensu, & ratione hominum, & à Dei bonitate alienum est: immo implicatorium, cum tota retribuenda gloria, vel ab ea decidendi conditio electio diuina, vel non electio sit, non quæ sonat & significatur conditio meritorum, aut demeritorum. Respondetur facile: promissionem illam ad omnes factam, & æqualem sub conditione fieri debuissè, cum non sit absolute danda gloria reprobis, qui tamen illam ex auxiliis sufficientibus obtinere absolute potestate antecedente possunt: ratione cuius antecedentis potestatis non merendi illam, atque impediendi subinde electionem illam efficacem regulatam per scientiam mediam conditionatorum meritorum, ne suo loco, & priori in suo genere præcessisset, potuit fieri, adhuc supposita electione respectu prædestinatorum, conditionata promissio: cum ea electio solum necessitatem consequentem obtinendi gloriam ita electis prædestinatis inducat in suarum sententia: id quod conuincendum aliunde est, vt vim hoc argumentum habeat: maxime, cum promissio hæc conditionata gloriæ mortuum (vt minimum) & incitamentum, non leue, sit ad merendum: unde facile confirmationes omnes infirmantur, sed facilius subruunt omnia, si promissio conditionata, & ipsi supposita necessario conditionata voluntas ante absolutam electionem ad gloriam constituitur, quæ, etsi necessaria ad eam promissionem non sit, nullatenus autem subsequuta repugnat. Postremo, vt vini, & difficultatis vmbra habeat, probandum erat: quæcumque ad conuertentiam dicuntur synonymè dici, quod est improbabile, præsertim in iis, quæ ob physicam connexionem vnius cum alio (qualis est inter electionem & merita prædestinati) ad conuertentiam dicuntur, in iis siquidem vnum re ipsa ab alio diuersum eorum nominibus significari certum est.

4. Quinta, & sexta Lessij impugnatio eodem recidit. Nempe ex hac electione antecedente merita, & efficacie quorundam ad gloriam, tolli, cum in vnoquoque omnem bene operandi sollicitudinem, cum in viris Apostolicis animarum zelum. Siquidem si electus ita ad gloriam sum, ab ea exidere nequeo: & quamvis per merita obtinendam electus atque in eis etiam mea sollicitudo in Dei electione, & decreto numeretur; ille me ad ea omnia, ignarum etiam, & inermem efficaciter excitabit, si autem ex electis ita non sum, frustranea est præceptorum, & consiliorum Dei studiosa obseruantia: quia etiam adhibita saluandis certo non sum, quin antecedens bene merendi, & salutis potestas, & libertas, alio mihi, quam in damnationem cedat: certa autem irriti, ad rem, etiam possibilem, consequendam laboris cognitio & iudicium impedit prorsus, tollitque conatum: quod ipsum argumentum contra zelum aliorum de mea, & reliquorum salute militat; tamen per eorum zelum, & labores illorum mandanda executioni sit mea, vel reliquorum salus decreta: nam, & hoc nihil ipsis de ea cogitantibus, neque sollicitis suo tempore fiet, & ad id efficaciter excitabuntur, quin ultra statum fuerit, & quam quique electus à Deo est addi aliorum solertia, industria, & zelo quidquam possit. Hoc tamen totum Pelagianorum, & Semipelagianorum argumentum præcipuum, vel potius erroris sui totum fundamentum fuit: & quod sublata etiam antecedente electione, seu intentione efficaci gloriæ prædestinati, positaque prædestinatione, & electione mediorum efficacium extrinsecus, certa tamen, & infallibili de salutis assequutione (vt Lessius ipse ex intentione inefficaci salutis admittit) eandem vim contra prædestinationis certitudinem habet: cui cum nostra libertate conciliandæ Patres omnes, & Scholastici, atque accuratissime & subtilissime Anselmus, & Molina noster, nostrique omnes postea inflata

runt: quare, cum impugnatio supponat electionem hac Soaristica necessitatem antecedentem ad meritum, persequerantiam, & gloriæ consecutionem per ipsam non induci, maxime si, iuxta tertium Soarii modum, non nisi per meritum obtinenda gloriæ electio efficax sit, quæ absolute libertate esse non possunt, nil in eo argumento, & impugnatio est, quod non æque Lessij & nostrorum omnium prædestinationem impugnet: ei tamen respondemus pro prædestinatione omnes, eius certitudinem, & infallibilitatem à nostro absoluto bono auxiliorum usu, solertia, & industria ratione scientiæ mediæ, cui prædestinatio cuiusque certitudo innitur, pendere: quare, & posse absolute à nostro malo usu impediri, ne suo signo, & priori præcessisset: iuxta illud Petri. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: quod ipsum de & pro sua electione discit Soarius, & supponit obtinebitque, quovisque aliunde à doctrina, & dispositione tradatur. Libertas autem alio quam in damnationem reprobis cedere ex dictis constat, siquidem industria bonoque usu reddere auxilia efficacia possunt absolute, neque ex efficaci intentione damnationis, & mali usus, immo nec ex inefficaci, sed potius ex vera, & seria boni usus, & salutis intentione ipsis à Deo tribuuntur. Et hæc impugnatio pars contra Soaristas non est, qui negant reprobos ante merita positum excludos, sicuti negamus omnes. Nouatores eo argumento impugnant, ut ante merita positum excludos, ut ipsi contendunt, concedamus: quia non aliter se exterius Deus gereret, quam denegando eis auxilia efficacia ne perant: sed saluentur. Et certe quoad externorum mediorum, & appositionem verum assument, errant tamen quoad internos Dei electionis & intentionis affectus, quos ob eorum salutem à Deo conceptos habitoque scriptura Patres, & Ecclesia testantur. Ex quibus patet, quid, quantumque aliorum zelus labor, & industria aliis ad salutem consequendam, augendamque perfectionem, & gloriam possit ea etiam posita electione, sicuti, & prædestinatione prodesse: proficereturque iis speciatim electis, & prædestinatis quorum bonus usus auxiliorum, immo & auxilia ipsa illorum zelo industria, hortatu, & prædicatione obtinenda elegisset, sicuti in omnium sententia prædestinati.

5. Septima Lessij impugnatio: quia ea electio à naturali cursu, & dispositione rerum discordat. Si enim ante præuulsum primum peccatum habita à Deo est: ergo, etsi illud non fuisset idem, eodemque gradu homines bearentur: at nunc multi ex prauo concubitu nati, qui nec in statu proinde innocentie nascerentur, beandi sunt: ergo non iidem tunc bearentur. Secundo, cum electio hæc circa singulares homines tali corpore, & anima constantes eidem cibis tunc, quibus nunc, ut illos opus esset, cum ex ciborum varietate corpora ipsorum, cum in se, tum in semine ex quo erant coagmentanda variarentur. Tercio materie particulas per diuersa corpora dispersas colligere Deus teneretur, ut iidemque beandi nunc perstaret corpus: maiori scilicet, quam generalis resurrectionis miraculo. Insuper, cum ad electionem hanc vnus præ alio, etiam non electi supponi existentes, & singulares debeant, si eorum non electio uti aliorum electio, ante primum peccatum fuit, infertur: eisdem, qui peccato commissio eo etiam non commissio, & in statu innocentie fuisse damnandos: quod similibus absurdus patet multisque affinis aliis. Verum, si aduersarij negent hominum electionem, & prædestinationem ante præuulsum Adæ peccatum fuisse, & solum ex meritis Christi post peccatum decreti: quare nec Adami gratiam in statu innocentie effectum fuisse prædestinationis, (quod verius mihi est) eisdem qui nunc in statu innocentie saluandos homines minime infertur: & omnia opposita disparent. Sed quoniam hoc ordini decretorum incarnationis Soaristico minus concordat, admissa electione hominum eorundem, qui saluandi nunc sunt, ad gloriam, non oportet eos eodem modo tunc, ac nunc procreantur, propagari: cum extrinsecum eorum substantiis, etiam singularibus sit: sicuti in Soarii sententia Christus, & ante Adæ peccatum, atque ex eo remotè, & proximè ex Beata Virgine propagationem absolute, & secundum substantiam fu-

turus præuulsum est. Neque item iidem cibis uti oportet, ut eadem corporum materia peristat: extrinsecum quippe id illis partibus nutriti, & aliti est, sicut de generati generatione diximus: Cum nutritio iuxta Philosophum sit partialis nutriti generatio. Atque hoc etiam in humanitate Christi, si ante Adæ peccatum in Soarii sententia à Lessio ad impugnacionem admissa, fatendum est: cum non iidem cibis, quibus in statu innocentie Adæ peccato admissio fuerit usus. Quod autem ita Deus res perstante innocentia disponderet, ut materie portuicula omnes, quibus beandorum nunc corpora coalescunt, & tunc eadem corpora coagmentarent infinitum Dei sapientiam probat, quæ retum, & causarum omnium cursum tunc disponderet, ut omnes illæ particule in sua quæque corpora naturali cursu confluere, quod plane non naturæ cursu rerum, debitoque ipsi Deo concursu, & dispositione, sed miraculo in generali nostrorum corporum resurrectione à Deo peragatur. Vnde nec obiectio tam multa acutè, & eruditè mouet quidquam contra Soaristicam electionem ad gloriam euincit.

6. Octaua Lessij impugnatio: quia, si electio illa efficaci ad gloriam antecedente merita atque per meritum obtinendam eligit Deus simul gloriam cum meritis prædestinati (ut tertio modo Soarius ait) vel scilicet electionem gloriæ immediate, & ante auxiliorum electionem, sequitur electio efficax meritum, quæ re ipsa erunt prædestinati, eiusque præuulsum gloriæ dignitate meriti respondet: inde verò inferat eorum operum absolutam positionem in manu Concilij nostri seu in potestate nostra non esse: quod contra scripturam est, & contra dogmaticam arbitrii nostri libertatem, etiam extrinsecam, quæ eorum operum præuulsum aboletur: vnde præuulsum, non autem libertas nostra pro causa reddenda est, cur ea opera fiant. At tandem, cum eorum operum, ac meritum plura respicienda, & imperfecta sint, ea etiam ita à nobis ita Deo efficaciter antecedenter vellet, quod nec fiat cum illis. *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester perfectus est*: nec cum diuina sanctitate, perfectione, & bonitate, perfectioni scilicet operum metam intrinsecum præfigere, & operum imperfectionem, & negligentiam nostram etiam efficaciter amare: ac nos tamen inertiam, & negligentiam nostram, atque imperfectionis operum nostrorum promptam, & expellendam excusationem in Dei efficaci voluntate haberemus. Hæc tangitur iterum difficultas de euerione libertatis & meriti operum nostrorum per eiusmodi electionem: quod verum esset, quod de Soario Lessio refert supra lecto, nempe, docere electionem ad gloriam tantam, & determinatam esse non autem per merita determinatam, sed vniuersam, siue hæc, vel illa vim contra Soarium: immo, & absolute non haberet: siquidem decreto efficaci de opere nostro disuulsum hoc vel illo, cuiuslibet libertatem absolute non euerit ostendimus controuersia d. 6. quæst. 3, ac demum ex dependentia electionis illius regularæ per scientiam mediā à nostra absolute libertate, & operum ex ea liberè apponendorum, ut Soarius ait, impugnacionis impetus infringitur, ut aliunde pressius, ut diximus, vigeat impugnatio. Vnde nostra libertas, quæ electionis illius non generet, & ordine causa fuit, non autem electio pro causa, nostrorum meritum, & operum adæquata reddi etiam debet: inde excusationis inertie nostræ, & imperfectionis in Dei efficaci voluntate & electionem rerum gestarum vanitas apparet. Nec demum, ita Deus illud opus in ea perfectione, quam habituram scientia sua condignata nouit, eligit, & præstat, ut præstat, ne habere maiorem, quam ex operantis potestate, & libertate potest absolute habere, sed solum præstat, ne habeat maiorem, quo opposita ex Dei desiderio de maiori nostræ, nostrorumque operum perfectione, atque ex Dei bonitate laudis & rate perfectione euanescent.

7. Impugnatur communiter sententia hæc affirmans à negatiue Doctoribus, ex orationis inutilitate à prædestinatis, ut saluentur contra orationem Dominicanis istis verbis: *Adueniat Regnum tuum*: cum ita electi à Deo ex se ipso atque antecedenter ad merita non possint non saluari, insuper ex 1. ad Timot. 2. vbi dicitur

unumquemque fieri posse *non contumelia ex vase in honorem*: cui illud Apocalyp. consonat, *tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, quasi hæc possit amitti. De quo loco supra: Et illud Corint. 9. *Castiga corpus meum*. *Ne forte, cum aliis prædicantibus, ipse reprobus efficiat*: quod posita eiusmodi electione efficaci ad gloriam, a Deo ex seipso ante & independenter à meritis electi amitti ab ipso gloriam est prorsus impossibile. Respondit olim Soarius, argumentum hoc esse improbabile, quia nemo eatenus contra eiusmodi electionem efficacem ad gloriam ante præiudicium merita prædestinati usus fuerat: impugnauit Vasquez 3. p. cit. d. 23. cap. 10. ab auctoritate negativa male inferri argumenti nondum tacti improbabilitatem: oportere enim tactum ab aliis omnibus esse, atque, ut improbabile reiectum, ac insuper aliqua aperta ratione eius improbabilitatem ostensam; eo enim argumenti, & diffusus improbabilitas ostendi solammodo potest. Quamdiu enim ratio ab omnibus tacta insoluta manet, non quidem improbabilis, sed evidens esse conuincitur: quod in re præterite confirmatur apertius, Nam Oxam, Gabriel & Catherinus pauculis illis eximie prædestinatis, quos solum efficaciter ante ipsorum merita electos ad gloriam putant omnem prorsus potestatem, & libertatem illam amittendi eiusmodi electione aufertur planè fatentur: quare neque auctoritas negativa à Soario improbabilitatis, impugnationis, & argumenti huius contra ipsum præsentia adest. Insuper maxima eius impugnationis probabilitas, immò efficacia inde satis ostenditur: quod Soarium ipsum recurrere, ut ei respondeat, coegerit ad suppositionem extrinsecam, quæ est natura antecedens operationem sit, eius tamen libertati non officiat: quod ad concordiam absolutæ prædictæ, & prædestinationis cum operum nostrorum libertate, tametsi ad manum Patribus esset, neglectum, ut situium, & inutile, ac falsum ab ipsis omnibus reiectum est, præcipue ab Anselmo, qui ceteris impensius, acutius, & subtilius de ea concordia disputans c. 12. n. 9. & 14. asseruit, ac definit: immò & Soarius ipse 1. de concursu Dei eandem in simili solutionem repellit de voluntate Dei non concurrenti nobiscum c. 13. n. 14. alia vero solutione quam tentauit moxque subiciam, licet non satis ab aliis præclusa fuerit: tamen ita eam posita insecutimur ut nihil præstare illam æquis rerum æstimationibus facile appareat. Respondet secundo: ut libertas tollatur ex suppositione aliqua antecedente operationem inferre vi sua debere aliquem actum singularem cum determinatis circumstantiis: sed hoc solum requiritur, ut ille actus cum determinatis circumstantiis necessarius absolute sit, eiusque omnis in illis absolute impossibilis: unde inferitur gloriam indiuiduam & in tali mensura donandam ad quam electione absolute antecedente prædestinatus eligitur, ipsi necessariam atque eius defectum ex suppositione illa electionis (quam prorsus antecedentem esse hæc solutio admittit) esse absolute impossibile: esse vero electionem illam prædestinati ad gloriam singularem, & in tanta mensura Soarius fatetur ubique. Secundo ipse fatetur electionem ad hanc, & tantam gloriam prædestinati esse cum his circumstantiis determinatis singularem meritum, ut cert vit. videmus. Denique etsi cum eis determinatis circumstantiis meritum electio illa ad gloriam absolute antecedens habita à Deo non fuisset, ac proinde ad ipsius meritum persistere prædestinatio libertas, non tamen ad illam, vel consequendam, vel amittendam, quemadmodum Soarius ipse 3. p. d. 83. sect. 2. & 1. de concursu Dei c. 11. ex vniuersæ hypotatice non manere humanitati Christi libertatem ad peccandum, tametsi ei maneat libertas ad merendum fatetur, in præceptis operibus: quia actus quibus impleuit præcepta cum determinatis circumstantiis, & in singulari ex antecedente vniuersæ hypotatice suppositione determinati antecedenter non erant, erat autem antecedenter determinata negatio peccati.

8. Alij autem huius affirmantis sententiæ Doctores ita præfatæ impugnationi respondent, ut tolli libertatem prædestinatis ad gloriam consequentem (quod solum ea impugnatione contenditur) admittant, at manere eis ad illam spontaneitatem, quæ tamen cum brutis, etiam ad suæ felicitatis acquisitionem communis sit, & quæ sola

Christoph. de Origine de Deo Vno, Tomus II.

ad gloriam à Calvinistis in hominibus admittatur, & nos brutorum more ad gloriam agi, atque sua hac electione ire, atque ita respondentes via argumenti in Calvinismum adigi sua solutione demonstrant. Quarto respondent alij ita Scripturam loqui, non quia electus amittere gloriam absolute possit, sed ut sit in timore: sed dant impugnationi, quod intendit: ac insuper Dei per scripturas hæc comminationes illicitas, & illusorias facit cum de re impossibili prorsus esse concedat, & subinde à veritate alienas. Quinto alij respondent ita electum absolute posse damnari, non tamen ex suppositione, siue in sensu composito electionis; sed in sensu diuiso, sicut de prædestinato posse absolute damnari Catholicis omnibus fatendum est, licet ex suppositione in sensu composito prædestinationis absolute damnari nequeat. Hoc rejicit Daza: tum quia est Calvinistarum, & Recentiorum Dominicanorum Thomistarum solutio ab authoribus, contra quos agimus, in vniuersæ impugnata. Tum etiam, quia humanitas Christi peccare absolute non potest, nec posse absolute peccare dici potest licet in sensu diuiso vniuersæ hypotatice siue ea sublata peccare posset. Ergo dummodo in sensu composito electionis illius nequeat electus peccare finaliter, ac subinde amittere gloriam ad quam electus est, & damnari absolute non posse finaliter peccare gloriam amittere, & damnari contra scripturam, & Catholicorum sententiam dogmaticam dicendus erit: sicut ob impotentiam similem peccandi in sensu composito vniuersæ hypotatice Christi humanitas absolute prorsus etiam antecedenter impeccabilis dicitur. Verum, si Soarii doctrinam respondentes percalluerunt, facile se ab his impugnationibus expediant. Etenim Calvinista, & Dominicani Thomista auxilia ab extrinseco solum bono nostro vsu efficacia, & intrinseco indifferentia abhorrent: atque inde scientiam mediam ad electionem efficacem ad gloriam, & efficaciam auxilia pro electis eligenda Deum dirigere excreantur: quare, & omnem prorsus dependentiam à nostro arbitrio, & libero vsu absolute auxilij, cum efficacia ipsius, tum electionis vniuersæ mordicus negant, totum electionis illius efficaciam, prædestinationisque suæ negotium, robur, & connexionem cum gloria à Dei solius arbitrio pendere: unde & eius diuisionem à nobis vllatenus pendere non posse, nec pro priori ad eius positionem vt non poneretur. Hæc vero electio Soaristica prædestinatorum, quamvis motiue & meritorie à nobis nostrisque bonis operibus absolutis, meritisque, non pendeat, cum ante ipsa sit; at vero, cum scientiam mediam operum conditionate futurorum, ut sui regulam, supponat, atque vtraque, & scientia, & conditionata operum futurum in alio obiectiuo genere à futuritione contingente absoluta, ac subinde & arbitrij nostri potestate indifferente purificata conditione, per auxilij illius absolutam positionem pendat, sit plane, ut tunc etiam, cum electio est, sit pro natura priori ad eius positionem ad eam impediendam ne sit plena in prædestinatis electis absoluta potestas: quare, & ad eam diuidendam, ac subinde in sensu diuiso per electi potestatem, & libertatem absolute finaliter peccandi, amittendi gloriam, & passiuè damnandi absolute potentia, & possibilitas: uti omnes de Catholica prædestinatione philosophari debemus. Atque hoc sane sensu Soar. possibilitatem, seu absolutam potestatem amissionis, gloriæ & damnationis electorum in sensu diuiso electionis esse admittit: quia eius positio potestatem diuidendi voluntatis nostræ, quam iuxta doctrinam datam supponit, & ad eam ponendam, vel diuidendam est, non destruit. Quare ni aliis euctio libertatis, & potestatis, amissionis gloriæ, & damnationis ita electi absolute impugnetur, nihil ex scriptura, aut instantiis præfatis contra Soarium, & affectas obtrinebitur.